

VII. &

13. Deinde & illud observandum, Quod, uti
fideles non credunt in Ecclesiam: Ita nec Ecclesia
se credere profitentur.

VIII.

14. Prophetis enim & Apostolis loquentibus aut
scribentibus hoc debetur privilegium: ut illis tan-
quam legatis Domini, perinde ut Domino ipso
credamus, assensu prorsus absolutè, & sine ulla
conditione adhibito.

15. Evertitur inde nimia illa autoritas, quam
Pontificij Ecclesiae veteratorie arrogare conantur,
contendentes, non ex conditione, sed absolute in
negocio Religionis Ecclesia credendum esse: ut ve-
ritas fidei, quoad nos, nitatur autoritate Ecclesi-
æ: & verum sit, quicquid Ecclesia decernit: fal-
sum quicquid illa improbat.

16. Ceterum quemadmodum prima hac asser-
tio (Esse Ecclesiam) præter autoritatem Symboli
Apostolici, nititur cum primis promissionibus di-
vinis in scriptura expressis. Ies. 59, 21. M. 11b. 28,
20. Ies. 55, 10.

17. Sic plenissima ea est pia consolationis, qua
fideles certi sunt, non abjectum esse à D E O. ge-
nus humanum: Sed esse cœtum aliquem, qui æ-
ternum bonis ipsius fruiturus sit: esse ratas adhuc
promissiones Ī EI: regnare adhuc filium D E I:
recipere & salvare invocantes &c.

18. Porro Ecclesia simpliciter sic appellata pro-
miscuè notat cœtum vocatorum, & tam latè pa-
ret, quam latè orbis ipse Christianus se diffundit.

Membra